



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

77. In quibus casibus res aliquando possit vendi carius quam alioquin venderetur? Ex quo etiam deducitur multas esse causas, propter quas licet aliquando rem minoris emere, quam alioquin emeretur, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

hanc posteriorem sententiam veriorē, & receptiorem esse, testantur Ant. Gomez var. res. lib. 2. c. 2. n. 22. & Didacus Couarr. var. res. lib. 2. c. 3. n. 8. imò & ipse Pinellus supra allegato loco n. 7. negare non audet, eam aequitate iuari. Vide etiam Molinam disp. 349. cum Sala de emp. dub. 2. c. 2. n. 2. & alios penes ipsos.

8. Nota tamen quod in conscientie foro non licet contrahentibus se inimicem decipere, usque ad dimidium iusti pretij. Sed obiciēs, cur igitur iura permittunt hanc deceptionem usque ad dimidium iusti pretij? Id fit consulenda Reipublice causa, ne propter lationem qualemcumque interturbentur rerum commercia, & repleantur litibus tribunalia publica; nec enim omne, quod licitum, est honestum, l. 144. in pr. D. de div. reg. iur. antiq. vide latius Didacum Couarruiam var. res. lib. 2. c. 4. n. 11.

9. Hinc refellendus venit Gerson tom. 2. Alphabet. 35. tract. de Contract. p. 2. propos. 11. asserens in latione infra dimidium iusti pretij adesse peccatum, sed sine obligatione restituendi; sed hoc est falsum, nam si peccatur, peccatur contra iustitiam: ergo adest obligatio restituendi.

10. Et nota etiam hic obiter quod laesus citra dimidium iusti pretij potest recurrere ad Iudicem Ecclesiasticum, ut ratione peccati compellat adversarium ad restitutionem etiam per censuras. Ita Salas de emp. dub. 26. n. 4 & alij penes ipsum, quibus adde Cardinalem de Lugo de iust. tom. 2. disp. 26. sect. 7. n. 84.

RESOL. LXXVI.

Quando nam presumatur donatio in emptoribus, & venditoribus circa excessum, vel defectum iusti pretij? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Resol. 39.

Sup. hoc inferius in tr. 7. Ref. 244 & ne deferas legere doct. Ref. hanc sequentis; & si placet etiam Ref. eius annotationum, & vide etiam doct. § Ad sextum si gnauer ante med. à ver. Fallum est. Ref. 92.

§. 1. **H**ic casus est multum practicabilis, & agitatus fuit his diebus, quia in domibus virorum nobilium ludentes præbent famulis, seu reuerà dominis, mediantibus illis, certam pecuniarum summam pro chartis, candelis, aqua niue refrigerata, &c. quæ tamen excedit iustum pretium dictarum rerum: quasi erunt à mesan dicti teneantur restituere summam illam excedentem? Et affirmatiuum sententiam docuerunt aliqui viri docti; ego verò negatiuè respondi, quia in tali casu præsumitur donatio illius summæ excedentis iustum pretium illarum rerum. Etenim, ut optime ex Nauarro, Corrado, & Medina obseruat Pitigianus in 4. sent. 102. dist. 15. de emp. & vend. q. 2. n. 3. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 25. c. 16. n. 289. & Molina de iust. 10. 2. tract. 2. disp. 351. n. 4. quando aliquis scit valorem rei, nec necessitate cõpulsus contrahit, neque interueniat metus, vis, aut fraus, præsumitur liberè donare excessum à latitudine iusti pretij. Sed hoc totum accidit in casu nostro, quia tales ludentes liberè contrahunt, scientes valorem illarum rerum, neque cum eis fraus aliqua, vis, vel dolus interuenit; ergo dicendum est illos summam excedentem iustum pretium illarum rerum liberè condonare, maximè cum sint viri nobiles, qui ex natura solent esse liberales, & munifici. Et licet esset vera opinio Lessij lib. 2. c. 21. dub. 4. n. 37. Turriani de iust. 10. 2. disp. 57. dub. 6. n. 7. Tanneri tom. 3. disput. 4. q. 7. dub. 1. n. 33. Malderi de iust. tract. 5. c. 2. dub. 2. Syluij in 2. 2. D. Thom. q. 77. a. 1. queritur 3. & aliorum asserentium, quod non præsumitur donatio cum circumstantiis supradictis, nisi inter ementes & vendentes coniunctio aliqua sanguinis intercedat; Attamen hæc conditio adest etiam in casu de quo loquimur; nam tales ludentes sunt omnes amici dominorum, quorum intuitu, vel quibus reuerà mediantibus famulis largitur excessus ille iusti pretij chartarum, &c. Ergo dicendum est voluntariè illud eis condonari.

2. Nec valet dicere quod tales ludentes non liberè contrahant, quia non eis conceditur portare chartas; Nam respondeo quod hoc gratis dicitur; nam hoc nunquam ab ipsis ludentibus requisitum fuit, nec in praxi potest accedere, ut patet. Vnde ad summum sufficit habere intentionem post consultationem peritorum faciendi id, ad quod in conscientia erant stricti, quando casus in facti contingentia accederet. Sufficit verò nunc pro iustificatione casus nostri, quod dicti ludentes, ut patet, contrahant cum circumstantiis supradictis, cum quibus, ut dictum est, præsumitur donatio. Et idè nostram sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Emmanuel Sà v. Venditio. n. 1. vbi sic asserit, Qui pro re empta plus iusto dat, sine vi, fraude, ac errore, præsumitur donare. Ita ille, & ego.

RESOL. LXXVII.

In quibus casibus res aliquando possit vendi carius, quam alioquin venderetur?

Ex quo etiam deducitur multas esse causas, propter quas licet aliquando rem minoris emere, quam alioquin emeretur; & quod necessitas facit, ut venditor offerat merces vltroneas, que vilescant non solum pro tertia parte, sed etiam pro medietate. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 23.

§. 1. **R**espondeo cum Bonac. disp. 3. qu. 2. punct. 4. n. 22. Primò, ob multitudinem emptorum. Secundo, ob affectum ad rem. Tertio, ob lucrum cessans. Quarto, propter periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expensis. Sextò, propter modum vendendi. Ex quibus deducitur, multas esse causas, propter quas licet aliquando rem minoris emere, quam alioquin emeretur. Primò, ob multitudinem mercium, & raritatem emptorum. Secundo, ob inopiam pecuniarum. Tertio, ob modum vendendi: modò res non habeat pretium à lege constitutum. Quæ quidem sunt maximè à Confessariis notanda; nam ex his pendet resolutio multorum casuum quotidie in praxi occurrentium. Vt quando rem quis minoris emit ab illo, qui necessitate compellitur ad vendendum; nam in hoc casu puto licitam talem emptionem ex modo vendendi; quia necessitas facit, ut venditor offerat merces vltroneas, que vilescunt, ut alias dixi non solum pro tertia parte, sed etiam pro medietate. Deinde, in tali casu censetur adesse pauci emptores sed paucitas emptorum minuit pretium; ergo, &c. Et ita docet Valq. Opusc. de restitut. c. 5. §. 1. dub. 10. n. 61. Turriani in 2. 2. 10. 2. disput. 57. dub. 6. n. 5. Emmanuel Sà verbo Emptio, num. 4. in fin. & alij.

RESOL. LXXVIII.

Quidam vir emerat vestem quadragesimæ, que valebat sexaginta aureos, sed emerat rogatus à venditore; consultus suis, an emptor teneatur aliquid restituere? Et asseritur merces vltroneas vilescere pro tertia parte, imò pro medietate. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 53.

§. 1. **R**espondi negatiuè. Et pro declaratione huius questionis notandù est, quòd, concurrentibus aliquibus circumstantiis, aliquando licet minoris emere rem aliquam, quàm alioquin emeretur: sicut è contra vt, g. propter modum vendendi. De qua causa vide de Couarruiam lib. 2. var. c. 3. n. 5. Nauar. c. 23. n. 78. & 87. & Medinam in C. de reb. instit. q. 31. verb. Similiter. Et sic in fine nundinarum merces minoris vèduntur, quàm initio; item, finitis studiis, scholastici in patriam reuerfuri, libros suos minoris vendunt; & cum merces exponuntur sub hasta, & publica voce præconis, venduntur, aliud